

mam, quem abstraho de medio motu Solis ad idem tempus reperto, relinquitur medium argumentum Martis, scilicet 8 signa, 16 gra. 25. mi. 51. secund. Argumenta autem Lunae, Veneris & Mercurij media, cum habeant tabulas proprias, per primam propositionem quaerenda sunt,

## De Centro Lunae medio.

## Propositio V.

## Centrum Lunae medium pro quocunque tempore inuenire.

**I**nquirantur motus Solis & Lunae medij ad tempus considerationis tuae, per primam, quo facto auferatur medius motus Solis de medio motu Lunae reuocando integram circulationem, si aliam subtractionem fieri non possit, & quicquid residuabitur, dupliciter, sic enim centrum Lunae prodibit, quod alio nomine distantia duplex, seu duplex interstitium uocatur. Distantia namque ab auge sua semper est duplex, respectu elongationis eius à Sole, & ideo in inquisitione centri Lunae medius motus Solis de aequali motu Lunae subtrahitur, & relictum duplicari praecipitur. Exempli causa, motus Lunae medius ad supra dictum tempus est 11 signa, 27 grad. 7 min. 46 secund. de quo si motus Solis medius ad idem tempus repertus fuerit sublatus, remanebit 11 signa, 4 gra. 39 mi. 29 secund. luminarium distantiam representans, qua duplata centrum Lunae scilicet 10 sig. 9. gra. 18, mi. 58. secund. concrefcit.

## De medio centro quinq; planetarum.

## Propositio VI.

## Centra media 5. planetarum pro assignato tempore constituere.

**I**nuenias medium motum planetae tuae per primam ad terminum propositum, & auge eius per 2 quam de medio motu planetae tuae abstrahes, & remanebit medium centrum. Quod in Venere cum argumento Solis concordare oportet, propter mediam coniunctionem, eorum perpetuam atque unam & eandem utriusque auge. Sed exemplo praesente plus forsitan certiferis, Iouis medius motus ad saepe dictum tempus est 1 signa, 12 gra. 5 mi. 29. secund. Aux autem ipsius ad idem tempus 5 signa, 23 gra. 23. mi. 32. secund. qua subtracta de motu aequali remanebit 7 signa, 18 gra. 41 mi. 37. secund. centrum Iouis ad tempus propositum.

Augem tu subtrahe à medio motu planetae,  
Vt habeas centrum, in Sole fit argumentum.

## De tabularum aequationum expositione.

## Propositio VII.

Ex Tabulis aequationum cognita earum dispositione, nec non generali forma intrandi earum aequationes, hoc est centralia puncta pro ueris motibus eliciendis extrahere.